

facultati. h) Quod fidei contrarium esse dici non potest. Deus enim, qui homines ad baptismum obligavit, suam gratiam non ita huic sacramento adstrinxit, ut eos, quibus in temporis angustia aut propter aliud impedimentum baptismo succurri non potest, salvare aut nolit aut nequeat. Israelitas in deserto mortuos ob circumcisionis intermissionem damnatos non fuisse merito creditur, quia si illa intermissio ob itineris necessitatem facta cum æternæ mortis periculo conjuncta fuisset, Moses eam per tot annos permissurus non fuisset. Si autem Deus gratiosa quadam dispensatione non damnavit Israelitas, qui in deserto ob perpetua & incerta itinera circumcisi non fuerunt, non est, cur nunc gratiam ejus ita coarctenus, ut de salute eorum, qui necessitatis casu præventi sine baptismi viatico e mundo emigrant, desperandum sit.

h) lib. 2. de Abrab. cap. 11. n. 79. i) ibid. num. 84. k) de myster. lib. 4. cap. 20. l) de obitu Valent. c. 11. m) ita Abelardum in epistol. ad Rom. p. 564. et epistol. 7. ad Heloissam p. 129. statuisse refert Mabill. not. ad Bernard T. 2. p. 627. n) epistol. 77. seu tract. ad Hug. Victor. cap. 2. n. 7.

§. XXVI.

Nec adultus solum, qui per Dei verbum regenerati sunt, sed infantes etiam e Christianis parentibus prognatos casus necessitatis a communi regula & ordinaria salutis via, quam Christus Nicodemo præscripsit, excipit. Fuerunt quidem, qui infantes de partu periclitante etiam de æterna salute periclitari statuerunt, ideoque vel in utero baptizandos censuerunt, quo baptismo infantibus succurri posse minime dubitarunt, cum alias divina Providentia incusari possit, quod in ordinandis salutis mediis defecerit, nec ejusmodi infantibus, qui in matris utero moriuntur, consuluerit. Alii existimant, ejusmodi infantes uteri latebris adhuc absconditos, & præterea secundinis involutos ab aqua attingi non posse, aut si aquæ aliquid illis applicari possit, ejusmodi baptismum haud magis ratum esse, ac si
infans